

Dissertatio inauguralis medica de indiciis aurium in morbis / [Johann Gottlieb Dennewitz].

Contributors

Dennewitz, Johann Gottlieb.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hendelii, [1754]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/unbtngxh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

INDICIIS AVRIVM IN MORBIS

QVAM

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLTATIS MEDICAE H.T. DECANO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME IMPETRANDI,

D. XXX. DECEMBR. A. S. R. c1814.

PVBLICAE CENSVRAE SVBMITTET

AVCTOR

IOANNES GOTTLIEB DENNEWITZ

IÜTERBOCA - SAXO.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.



VIRG

DISSERTATIO DE VITAE

INDICIVM

IOANNIS MORGAGNI

DE VITAE

ACTO ET RATIONE INTERDICTI

IN ANIMA

PATRI OPTIMO

DR. D. ANTONIO

VIRG

POSTERIORI

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

GODOFREDO HEINSIO

PHILOSOPHO

PHILOSOPHO

COGNATO

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

VIRO
PRAENOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
IOANNI MICHAELI
DENNEWITZ

ICTO ET REIPUBLICAE IÜTERBOCENSIS PRAETORI
SPECTATISSIMO,

PATRI OPTIMO SEMPITERNA VENERA-
TIONE PROSEQVENDO;

NEC NON

VIRO
PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
GODOFREDO HEINSIO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI AC PENES
LIPSIENSES PRACTICO CELEBERRIMO,

COGNATO, PATRONO AC FAVTORI SVO
HONORATISSIMO

OMNI, QVA DECET, ANIMI REVERENTIA COLENDO,

HANCCE
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

IN PUBLICVM

GRATISSIMI ANIMI DOCUMENTVM

ET

PIETATIS AC OBSERVANTIAE PERPETVAE
TESTIMONIUM

CVM VOTO ARDENTISSIMO

OMNIGENAE PROSPERITATIS

AC IN SEROS VSQVE ANNOS SEMPER DURATURAE
INCOLUMITATIS

D. D. D.

EORVM


CULTOR DEVINCTISSIMVS,

AVCTOR.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
INDICIIS AVRIVM IN MORBIS.

PROOEMIUM.

 *F*uit haec semper constans omnium fere sapientis-
simorum Medicorum opinio, nullam corporis
humani esse partem, quae ad sanitatis morbo-
rumque signa declaranda sit inepta; eam vero
aliis esse aptiorem, cui a nobilissimis principi-
busque partibus deducta nervorum vasculo-
rumque genera copiose fuerint interiecta: quod horum
sola atque unica ope singulae, quibus conflatum est huma-
num corpus, partes, non sine magno & communi omni-
um nexu consensioneque, inter se copulentur. Cuius ma-
ioris commoditatis atque opportunitatis causa omni tem-
pore elegantissimi in iudicio Medici inprimis sensuum
organa, non solum tanquam interpretes atque nuntios
externarum rerum, sed etiam tanquam internarum,
quae cuius corpori acciderunt, affectionum indices, cu-
rata adspexerunt attentione. Qua de re si existimare li-
cet ex ea commendatione, quae apud intelligentes doctos-

que Medicos floret, utilissimam profecto & ad dignoscendos morbos maxime idoneam eorum contemplationem habeamus, necesse est; quum, vel ipso summo HIPPOCRATE passim iudicante, & oculi, & aures, & lingua naresque, & qui inde percipiuntur, singuli sensus a Medico, signorum morbos declarantium curioso, nequaquam debeant praetervideri. At, id ne accideret forsan, fuit haud incommode a quibusdam commentationum medicarum auctoribus provisum. Namque ut exterorum, aut saltem aliis in Academiis viventium scriptorum exemplis haec minime illustrem, heic loci quoque nuper rine de oculis, de ore, de naribus, singulares emissi sunt libelli semiologici *), solemnem, ut fieri solet, experti disceptationem. Quamobrem, quum summos in medicina honores ambeunti mihi, praeter consueta examina subeunda, Dissertatio quoque medici cuiuscunque argumenti conscribenda imperaretur: aurem selegi, ex reliquis sensuum instrumentis adhuc superstitem particulam, cuius peculiaria in morbis indicia seorsim exponerem commentando. Qua qualicunque Dissertatione eo magis mihi satisfecisse videbor, quo minus eandem lectoribus, iustis harum rerum existimatoribus atque arbitris, comperiam displicuisse.

§. I.

*) Prodierunt nimirum Illustris PRAESIDIS Dissertat. de prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda, ann. 1748. de oculo, ut signo, ann. 1752. de ore, ut signo, anno eodem, & de morborum signis, quae a naribus desumuntur, hoc ipso anno, mens. Aug. Ceterum autem neque apud exteros meminisse singularem, de aurium indiciis, prodierisse commentationem: quare meam non omni omnino novitatis gratia arbitror carituram.



§. I.



Si qui sunt, qui, ad semiologicam medicinae partem quantulacunque sua studia allaturi, singularum quarundam partium indicia, ad sanitatis morborumque intelligentiam facientia, exponere atque ad rationes veras certasque revocare institunt: hi non meliori ratione suo satisfacere posse proposito mihi videntur, quam si earundem partium, quas, tanquam variae conditionis in humano corpore observabilis testes, proponunt, nexus copulationesque, quibus cum reliquis coniunctae sunt, explicate demonstrent. Namque quum ita comparata sit signorum medicorum natura, ut deriventur ab adparitionibus quibusdam, quas etiam Medici graeco eoque notiori nomine *Φαινόμενα* vocant, hoc est, a mutationibus corporis humani sensuum ope intellectis, ex quibus ad qualemcunque eiusdem conditionem concludi potest *a)*; quaevis autem huius

a) Haec plenius demonstrata videas in illarum *Dissertationum*, quas in Prooemio citavimus, prioribus paragraphis & in Ioan. Freder. SCHREIBER *Element. medicin. physico-mathem.* Tom. I. §. 322. sq.

ius corporis mutatio solo, ut Philosophi Physicique docent *b)*, motu efficiatur, cuius ratio a machinae humanae fabrica dependet: cui adeo rudis atque inconditus erit sensus, ut dubitet, quin, perspecta cuiusvis partis structura, nexusque eidem cum reliquo universo corpore intercedentis ratione intellecta, ipsorum signorum, ab illius mutationibus desumptorum, causae evidentiores futurae sint atque explicatiores.

§. II.

Ergo, de varia *aurium* &, quo perfunguntur, muneris conditione atque habitu diversa morborum signa iam deducturus, non diffiteor, quicquid postea commemorabitur signorum, ad aures pertinentium, soli harum partium fabricae, tanquam fundamento, inniti oportere (§. I.). Verum enim vero, nisi contractioribus limitibus, qui huiusmodi generis Specimina inauguralia circumscribere solent, egrediar, vel sola intricatissimae subtilissimaeque aurium structurae enarratio, summa Anatomicorum accuratissime instituta, non academicum paucarum paginarum libellum, sed iustius quoddam volumen sibi esset vindicatura. At dum brevitatis studium, cui ob plurimas rationes me vacare oportet, hoc labore impraesentiarum me supersedere iubet; video hac in parte ad hos meos usus iam pridem a nonnullis praeclarissimis & Anatomes peritissimis viris eximie esse laboratum. Ecquis enim EUSTACHIOS, CASERIOS, FABRICIOS, DUVERNEYOS, VALSALVAS,

b) Confer Perillustres *Christ. L. B. de wolf Ontolog. latin.*
§. 676. & §. 535.

VAS, & decus quondam nostrum, CASSEBOHMIOS, magna illa nomina, nesciret c); quorum inter reliquas illustres laudes non ultima est, de exquisita fabricae aurium anatomica evolutione optime insigniterque meruisse. Ad hos itaque auctores benevoluntatem remittens lectorem, illud saltem volo, ut exinde is, universam illam *subtilem aurium structuram* antea edoctus, eo distinctius intelligat, quae de vasculis nervisque aurium, quoad breviter planeque simul fieri poterit, statim exponentur.

§. III.

Scilicet, ut haec (§. II.) praefando seorsim tradam, propior adiunctiorque, quem in cognoscendis signorum medicorum causis nervorum vasorumque genus praebet, facit usus. Nullus enim motus, nulla mutatio, quibus humanum subiicitur corpus, si quidem ab internis provenerit causis, sanguiferorum canalium nervorumque adminiculo carere potest: nisi quis claris Physiologorum demonstrationibus reclamitare velit audacter. Ad quod accedit, singulas corporis humani partes ipsis his vasis nervisque, tanquam vinculis, ad communem consensum conspirationemque inter se esse colligatas.

B

tas.

c) Quorum singula scripta, brevitatis studio, recensere omisi, quum facili negotio in Celeberr. *Herm. BOERHAAVE Methodo studii medici*, ab Illustri *Albert. ab HALLER* emaculata, Amstelod. 1751. Tom. I. pag. 408. seq. & Clariss. *Christ. Guil. KESTNERI Bibliotheca medica*, Ienae, 1746. pag. 423. seq. evolvi queant.

tas. Tanto igitur magis accuratior harum rerum cognitio ad institutum intererit meum, quanto certius quaelibet signa medica a mutationibus corporis mutuoque partium consensu dependent (§. I.). Neque vero diffiteor, varia, in vasculosa aeque, ac nervosa huius partis fabrica, recentissimorum Anatomicorum studio rectius exactiusque ac antea definita, non levem mihi exstitisse causam huius materiae singulariter hic attingendae.

§. IV.

Nervorum, aures subeuntium, primaria stirps atque origo est septimum, quod vocant, cerebri par, inde muneri suo convenientissimum *auditorii nervi* nomen nactum. Nempe hic nervus, duabus singularibus partibus distinctus, altera molliori, ex oblongata medulla ipsoque ventriculo quarto deducta, altera vero duriori, ex parte crurum cerebelli proxime ad pontem, quem Anatomici vocant, exorta, utraque per aequale satis & parallelum, ut dicitur, iter, internum ossis petrosi sinum subeunte, tandem in coeco huiusce ossis fine divaricatur. Durior hic ramus, superius quoddam dicti sinus osculum ingressus, inde peculiari canali, transverso & deorsum retrorsumque retro tympanum reflexo, fertur. Hinc porro partim iuxta processus styloformis latus cranio egreditur, & multis variisque ramusculis auriculae, parotidi, atque haud exiguae faciei parti, genis, naribus, superiori labio, ipsique collo supremo prospicit, ubi vis tam musculorum compagem, quam cutem perreptans; quo in itinere numerosis anastomosibus & cum

cum quinti paris primo, secundo, tertioque ramo, & cum octavo pari, & cum tertio cervicalium pari coit: partim alio satis conspicuo ramo per peculiarem canalem tympanum intrat, atque inter incudem malleumque adscendit, ubi dein ea, quae pone maxillae inferioris articulationem deprehenditur, fissura e tympano iterum emissus, cum nervo linguali, seu maxillari inferiori WINSLOVII, quinti scilicet paris tertio ramo, coniungitur.

§. V.

Sed duriori maiorem nervi auditorii ramum, *mollem* nimirum *nervum* (§. IV.), in subtilissimos furculos divisum, per valde exigua interioris sinus auditorii oscula partim sulcus cochleae incisus, partim vestibulum canalesque suscipiunt semicirculares. Eorum, qui cochleam adeunt, minutissimorum ramusculorum obscurior est progressus; adeo, ut & acutissimi, qua erant perspicacia, Anatomi de illorum certa atque definita distributione inter se nondum plane convenerint. Attamen plurimis veri visum est simillimum, oriundos inde infinitos ramulos per numerosissima foraminula, cochleam perforantia, tam in periostrium cochleae, quam anteriorem membranaceam laminae spiralis partem dispergi. Hos vero nervulos, qui in vestibuli recessum deducti sunt, tenerrima sua fila in pulposam quandam atque mollem membranam, non vestibulum solum, sed & continuato contextu semicirculares canales investientem, colligere atque con-

iungere, inter Anatomicos certae explorataeque est veritatis *d*).

§. VI.

At, quae aurium compagem perreptant, neque minor nervis (§.IV.V.) est numerus, neque ab obscurioribus ignobilioribusque ramis deducitur origo *vasorum*, paucis saltem verbis hic exponendorum (§.II.). Nimirum potior canalium arteriorum pars utriusque carotidis arteriae sunt propaggines, minor vero a vertebralibus accedit: omnes autem in utramque venam iugularem desinunt. Singularis vero arteriarum est progressus ad auriculam a temporali externa, externae carotidis ramo, cuius huc emissum furculum, ob loci rationem, Anatomici *arteriam auricularem propriam* appellant. Hinc ab huius auricularis arteriae posteriori ramo denuo antrorsum ramulus exit, qui, duri nervi auditorii (§.IV.) per FALLOPII aquaeductum comes, *arteria* vocatur *stylomastoidea*; a qua, vel a temporali, vel ab utraque simul, membrana tympani meatusque auditorius vasa sua accipiunt arteriosa. Eadem arteria stylomastoidea, & meningea, carotidis internae propago, per aquaeductus hiatum huc accedens,

d) Quae hic de nervis, auri prospicientibus, brevissime disseruimus, iis conferri debent subtilius disputatis, quae in Illustris Alb. de HALLER Not. ad Herm. BOERHAAVE Praelect. in Institut. Tom. IV. pag. 387. sq. & in Primis lineis Physiolog. pag. 257. edit. prim. & in Clar. Ioan. Frider. MEKELII Dissertat. de nervo quinti paris, Goetting. 1748. passim huc pertinentia exstant.

cedens, & aliae denique quaedam, a temporali carotidis externae ramo deductae arteriolae, vasculoso tympani perioestio numerosissimos furculos imperiunt. Tandem in vestibulo, canalibus semicircularibus, cochleaque undique serpunt tenuissimi ramuli arteriarum stylomastoideae & vertebralis. Eisdem paene ramusculos in societatem itineris cum arteriolis emittunt venae, in iugularia vasa, ut iam ante memoravi, coniunctim desinentes.

§. VII.

Quanquam vero haecenus (§. IV–VI.) nervos aurium atque vasa tantum, quantum instituti mei praecipue interesse videbatur, expressi: lectores tamen meos, verarum exploratarumque, quibus signa aurium medica debentur, causarum curiosos, in hac acquiescere descriptione, neque ultra progredi, nolo. Nimirum illud est, quod opto, ut ne considerare negligant, cum ante memoratorum nervorum (§. IV. V.), septimi a cerebro prodeuntis, & tertii cervicalis paris, imprimis vero quinti & octavi sive vagi paris, mirificas cum universi fere corporis primariis ramis nerveis, e.g. linguali, intercostali, &c. coniunctiones, tum arteriarum carotidum venarumque iugularium, communium quippe totius ad aures abeuntis generis vasculosi auctorum (§. VI.) e), insignes origines, proxime a maxi-

B 3

mis

e) Minima enim, quae a vertebralibus vasculis proveniunt, vasorum est copia, quae tamen & ipsa, respectu tam arteriosi, quam venosi generis, proxime a subclaviis, utriusque maximi vasis ramis, oriuntur.

mis humani corporis canalibus, illarum ab ipsa aorta, harum vero a subclaviis, venae cavae ramis, deductas. In hac enim aurium cum reliquis partibus connexione omnis sita est ratio signorum, ex vario huius auditus organi habitu eruendorum (§. III.).

§. VIII.

Verum enim vero ut ad ipsam *signorum ab auribus petendorum* declarationem progrediar, duo in primis animadvertam *summa momenta*, simplicem nimirum *aurium structuram*, & accommodatum ad eandem sensum, *auditum*; quorum a diversis mutationibus singula, quae adhuc partim accurata atque attenta Medicorum, inter aegros versantium, observatio, partim subductum inde ratiocinium evoluit, signa in praesenti sum deducturus. Quae primo ad ipsas *aures* spectant signa, vel ab *externa* atque conspicua *parte*, vel ab *interna* desumuntur. In exteriori compage, sive *auricula*, denuo attendere oportet Semilogum ad immutatum atque a naturali ordine recedentem eiusdem partis colorem, calorem, odorem; aut reliquum universum habitum, inprimis a tumoribus exulcerationibusque deformatum; cui & cerumen adiacere liceat variis modis a naturali indole deflectens. Quae vero ab interna derivantur aure, praecipua aliorum adfectuum diiudicandorum indicia esse solent acerbus, qui interdum accidere auribus deprehenditur, dolor, & fluxiones pituitosae ulcerosaeve. Secundo vero in ipso *auditu* tria inprimis mutationum morbosae-

bosarum, signis declarandis idonearum, genera observantur, *δυσηχοία* nimirum, sive *depravata auditio*, *βραγυηχοία*, sive *inminuta audiendi facultas*, & *αίρηχοία*, sive *surditas perpetua* aut saltem *temporalis* f). Atqui haec erunt singula porro dicendorum argumenta.

§. IX.

Itaque quum proposui mihi, quomodo in utraque praecipua disputandi argumenti parte, ipsa nimirum aure eiusque officio (§. VIII.), elaborandum sit mihi: ea, quae primum sub intuentium oculos cadunt, primo quoque animadversurus sum loco. Ostendam ergo, quae omnium in auribus observandorum maxime sunt conspicua, *externae auris* phaenomena, signi medici vim usumque habitura. Atqui hoc intuens, *auriculae*, hoc est, cartilagineae illius partis utrinque ad os temporum collocatae, *colorem*, quomodocunque praeter naturam comparatum (§. cit.), primo considerabo. Neque vero est, cur naturalem huius aurium particulae colorem subtiliter describam; quis enim rem, quotidiano adspectu clarissime definiendam, ignoret? Curiosius potius animadverti meretur, quantum in morbis qualibuscunque pallide rubens atque rufesola haec pars non per externam quandam

f) Quibus de auditus vitiis conferendos porro commendamus Illustr. Ioan. IVNCKERVM, in *Conspect. Patholog. & Semiolog.* pag. 548. & Ioan. Antonid. van der LINDEN, in *Meletemat. medicinac Hippocrat.* Sect. III. §. CV. pag. 271. Edit. Lugd. Bat. 1660.

dam iniuriam g), sed per causas intrinsecus in corpore constitutas a pristino colore deiiciatur, atque aut decolori *pallore*, aut rubore acriori, aut denique *sublivido nigrore* saepius suffundatur.

§. X.

Quemadmodum vero omnis *pallor*, ut exquisitis Physiologi docent rationibus, in quacumque corporis humani parte observabilis, ad triplicem solummodo referri reduci que potest causam atque originem, nimirum, ut hoc specialius persequar, aut ad spasticam, quam dicunt Medici, vasculorum in cute quaquaeversum reptantium constrictionem coarctationemque, affluentis transitumque molientis sanguinis iter retardantem, aut ad eorundem maxime exilium canalium quantulamcunque inanitatem, huicque iunctam propiorem laterum vasa constituentium coitionem, a necessariae iustaeque sanguinis copiae defectu oriundam, aut denique ad ipsius sanguinei liquoris naturam indolemque penitus mutatam & a serosa pituitosaeque colluvie depravatam ac decoloratam: ita & iisdem his ex rationibus haud inopportune colligi potest, *aurium pallorem* (§. IX.), si, quae de externa eiusdem causa paullo ante (§. cit.) monita sunt, adnotentur, his totidemque deberi causis, atque adeo earundem harum

- g) Egregie enim ridiculum foret, e. g. a pallore aurium, leve frigus aut subitum terrorem insequuto, aut a rubore earundem, quem inflictus colaphus excitavit, intempestivum capere velle indicium perversae labefactataeque valetudinis.

rum caussarum, horum modo expositorum corporis humani adfectuum manifesta indicia esse posse pallentes aures.

§. XI.

Atqui exinde (§. X.) porro intelligi volumus, quid subfit argumenti, cur ab aurium pallore, seorsim in quibusdam morbis spectato, ad mentem crebramque exercitissimorum & accuratissimorum Semiologorum observationem, sequentia singularia deducturi simus signa. Atque primo quidem, si *diagnoseos h)* habeatur ratio, in intermittentibus febribus edocentur Medici praesentem horroris frigorisque paroxysmum, si una cum reliquis externis corporis partibus aures quoque palluerint. Idem symptoma accidit iis, qui animo delinquantur; iisve praesertim infantibus atque pueris, quos aut vermes consumunt, aut emaciat atrophia. Saepe quoque numero viri, ex adfectis hypochondriis laborantes, aut praecipuam vitae particulam in crebrioribus lucubrationibus & acerrimis attentissimisque qualiscunque rei cogitationibus, v. c. litterariis, amatoriis, &c. ponentes, nimium albentibus pallidisque auribus conspiciuntur, adeoque malae,

C

quae

h) Ut brevitati consulamus, consulto in evolvendis atque definiendis *diagnosticorum, prognosticorum & anamnesticorum signorum* notionibus non laboravimus; quum eadem facili negotio ex eorum dissertationibus, qui ante me huiusmodi particulares materias semiologicas pertractarunt, & quorum aliquot in Praefatione excitati sunt a nobis, repeti nostrisque dictis accommodari possunt.

quae ipsorum humores turpavit, constitutionis testes publice secum ferunt. At vero virgini feminaeque, cum tota facie, tum auribus pallenti, quale demum dabimus testimonium? Dubii, fatemur, ancipitisque iudicii res est; quum quanto magis ipsae a naturali bonaeque valetudini convenientiori colore, isto scilicet subrubente atque russeolo, recedunt, tanto, ut stultum hac in re mulierum esse solet arbitrium, existimentur pulchriores. Verum enim vero dicemus, quod res est. Virginem huiusmodi, viro inprimis tempestivam, aut iuniorem viduam, menstruae purgationis defectu, saltem ordine turbato, vel uterina cachexia chlorosive, hisque saepius iuncta febre amatoria laborantem nobiscum plerique signorum medicorum doctores putabunt *i*). Sed ad prorsus singularem adhuc diagnosin pertinet, quod accuratissimi paene omnium Semiologi, HIPPOCRATIS *k*), observatione constitit, aurium extremique nasi pallorem in muliere

i) Atque ne quid gravius in eiusmodi mulieres statuamus, nobisque veritate odium pariamus, in sententiam non concedemus LINDANI, teste SCHAARSCHMIDIO in *Medicinischen Jahrgaengen*, II. Jahrg. p. 58. *Feminae eiusmodi pallentes, dicentis, non semper malum hoc patiuntur ex mensium suppressione, sed volunt viro cohabitare.* Unde etiam, nostro quidem iudicio, sapientissime HIPPOCRATES in huius generis morbis pro medico maritum esse voluit, in *Libr. II. de morbis mulierum*, p. 646. Tom. I. Edit. FOESII, Genev. 1657. & in *Libro de virginum morbis*, pag. 563. Tomi & Edition. citat.

k) Videbis *Libr. de Superfoetatione*, p. 262. Tom. I. Edit. cit.

liere gravida inter praecipua numerari oportere indicia foetus in utero mortui, aut saltem parum vitalis.

§. XII.

At expediemus porro ea, quae ex pallentibus auribus (§. X. XI.) sibi vindicat Semiologia *prognostica*. Inter omnes Medicos triste nunc atque terribile nomen habet omenque *facies Hippocratica*, alibi saepius descripta *l)*, cuius etiam pars sunt aures admodum pallentes atque frigidae & in extremis suis apicibus a capite averſae. Quod idem illaetabile praesagium alio loco *m)* singulariter in febribus denuo adfirmat *Cous* noster, pallidas eiusmodi aures, imprimis si simul velut pellucidae fuerint, perniciosum morbi decurſum portendere testatus. Sed exempla quoque proſtant melioris optabiliorisque ominis; quale illud putamus, quod in maniacis observatum eſſe novimus. In his enim quemadmodum intenſi ruboris, univerſam faciem atque praecipue naſum auresque tingentis, accessio imminentem praesagit furorem: ita e contraria parte attenti ad cognoscenda morborum ſigna observatores medici ſemper annotarunt, in huiusmodi hominibus, ſimulac eminentiores atque extremae faciei partes, e. g. naſi apex, aures, labia, &c. rubicundo colore

C 2

denuo

l) Conf. *Christiani LANGII Facies Hippocratica levi penicillo adumbrata*, Lipſ. 1651. aut *Illuſtris PRAESIDIS Fundamenta Semiologiae medicae*, Part. I. Cap. VII. §. VII.

m) In *Coacis Praenotionibus*, Sect. 192. pag. 149. Tom. I. Edit. citat.

denuo destitui sensimque pallescere coeperunt, mox deferbuisse furorem *n*). Denique si consideremus, magnam sanguinis iacturam, sive ex inflicto vulnere graviore, sive vehementiori quadam eaque naturali haemorrhagia factam, semper universi corporis, imprimis vero faciei partiumque eadem comprehensarum, summum efficere pallorem: dubitari omnino non potest, quin pallentes quoque aures anamnesticatorum signorum classi interdum sint inferendae.

§. XIII.

Proximum supra inter vitiosos coloris in externa aure observabilis affectus locum dedimus *acriori rubori* (§. VIII. IX.); a quo deducenda signa porro nunc sumus evoluturi. Atque primum, quae ex his ad *diagnosin* morborum adferamus, sequentia tria momenta generatim nobis animadversionem mereri videntur. Quodsi enim intensius rubuerint aures, nulla quadam ceteroquin affectae iniuria, liquido exinde demonstratur, aut universum corpus magna nimii superfluique sanguinis mole laborare, aut copiosiori vehementiorique adfluxu liquorem hunc vitalem ad caput ferri superioresque partes, aut denique eundem humorem alicubi in minimis capitis canalibus retardari motuque interclu-

n) Huius phaenomeni insigne quoddam exstat exemplum in iam citata Illustris PRAESIDIS *Dissert. de morborum signis, quae a naribus desumuntur*, §. XXIII. not. o), de quo memorabili exemplo compertum habemus, defervescente furore ea accidisse phaenomena, quae supra descripsimus.

tercludi, hoc est, ut Medicorum more loquamur, stagnare solidisque demum partibus incendium inferre. Quorum phaenomenorum intuitu aurium rubor testis atque comes plerumque esse solet erysipelatis faciem occupantis, parotidum incensarum, gravioris cephalalgiae, phrenitidis, maniacy furoris, & id genus adfectuum aliorum: in quibus singulis quo intensiori perfusae fuerint aures rubore, eo maiorem morbi designant gravitatem.

§. XIV.

At hic idem aurium color (§. XIII.), qui modo inter demonstrativa, quae nos nostro vocamus sermone, signa suum occupabat locum, admodum quoque convenienter *praesagientis signi* vice fungi potest. Namque modo commemoratorum adfectuum (§. cit.), quibus & oriundam a sanguine apoplexiam adiicimus, frequentissimum omen esseprehenduntur aures cum ceteris faciei partibus nimium rubentes o). Unde porro Hippocraticum illud illustrari accuratiusque definiri potest praesagium p), in febribus ruborem ad aures, ex praegresso dolore oborientem, ignis sacri faciem occupaturi, aut, peiori eventu, ipsius convulsionis, cum vocis interceptione viriumque dissolutione coniunctae, aliisque morbis superventurae, haud vanum iniicere metum adfirmans. Contingit vero haud

C 3

raro

o) Referantur huc paullo ante de rubentibus maniacorum auribus disputata §. XII.

p) In *Coacis Praenotion*. Sect. 200. p. 150. Tom. I. Edit. cit.

raro, ut idem hic rubor narium praedicat haemorrhagiam, dictos ante morbos felicissimo, ut plerumque fieri solet, successu soluturam. Aliam autem quampiam eiusdem huius summi Viri praedictionem, licet multis huc pertinere visam, quo minus hic quoque adferamus, iustae atque idoneae obstant rationes, infra in subiecta paginae annotatione explicatius reddendae q). Neque vero hoc loco praetereun-

- q) Maximo enim vitio hunc HIPPOCRATIS locum omnino laborare, dudum harum rerum intelligentes perviderunt. Quod ut liquidius pateat, transcribam eundem, in *Coacis Praenotionibus*, Sect. 380. pag. 177. Tom. I. Edit. cit. exstantem, e versione FOESII: *Quibus supra aurem rubor contingit, (οἱσι δὲ αὖτὸς ὀφθαλμὸς) neque aliter quam morbo laterali adfecti incalescunt, alvusque biliosa & graveolentia exturbat, ii vicesimo & quadragesimo die periculum subeunt, quos si superaverint, servantur.* Cuius quidem effati veritatem experientiae non respondere, aliquot Medici annotarunt. Sed convenientius veriusque haec de pleuritide dorsali dicuntur, quam ipse HIPPOCRATES in *Libro III. de morbis*, pag. 493. seq. Tom. I. Edit. cit. allatis pene iisdem signis diagnosticis prognosticisque, descripsit. Atque hoc intuens FOESIVS, in locum verborum: *αὖτὸς ὀφθαλμὸς*, levi mutatione sufficiens commendat *ἐν νώτῳ*, hoc est, *in dorso*. Cuius lectionis praestantiam quum intellexerit van der LINDEN, eandemque in sua *Operum Hippocraticorum* editione graeco inseruerit textui, miramur, ipsum tamen veteri, quae adiuncta est, *versioni* latinae *Cornarianae* hoc loco non attulisse medelam. Atqui haec fuit ratio, quam ob rem nos, ex aurium rubore praesagientes, dorsi ruborem nihil impraesentiarum ad nos pertinere arbitrati sumus.

tereundum est silentio singulare quoddam Sinenfium Medicorum in morbis, inprimis acutis, praeditum: quippe qui, teste celeberrimo quondam Batavorum in Indiis orientalibus degentium Medico, *Andrea CLEYERO* r), aegrum, cui aures, oculi, genaeque rubent, quinto die fatis concessurum, audacter adseverant. Tandem quoque de *anamnestica* rubentium aurium *significatione* pauca quaedam dicenda sunt: de qua si monuerimus tantummodo, quod in eiusmodi aegro, aures sine manifesta haecenus expositorum morborum, sive praesentium, sive imminetium, causa nimis rubicundas habente, maxima sit suspicio praegressae turbulentioris animi commotionis, inprimis iracundiae, facillime quemvis morbum non alentis modo, sed etiam augentis s);

brevio-

r) In *Specimine medicinae Sinicae* Part. II. pag. 52. & 56. Francofurti, 1682.

s) Quantum efficere possit in morbis vehemens animi affectio, & quam commodum eiusdem indicium exhibeat subsequens faciei singularumque ipsius partium rubor, sequenti, quam observavi ipse, docebo historia. Vir, annos circiter triginta quinque natus, sanguineo-cholericus, lauto sed sedentario, minusque mobili vitae generi adsuetus, neque veneri admodum inimicus, corripitur febre catarrhali maligna, quae recto regimine medicamentisque diapnoicis caute impugnata ad diem duodevicesimum optime decurrit. Sed ecce! hoc ipso die statim post meridiem, quum aeger nonnihil tenuioris iusculi sorpisset, accedit invisendi eius gratia, ipso inopinante, femina quaedam, elegantissimae facileque placentis formae, ceteroqui vero virilis confortii appetentissima, cognatione aegrum attingens; quae

breviori huic nostro differendi instituto satisfecisse nos ipsi nobis videbimur.

§. XV.

Quae supersunt coloris in auribus a naturali indole aberrationes, *flavus* nimirum *color*, *livor*, *luror*, *nigror*, & quicquid his adfuit (§. IX.), paucis attingamus. Quemadmodum vero huiusmodi decolores colores, generatim spectati, nunquam bonam atque intemeratam corporis indolem produnt: ita nec in auribus observati aliquid boni indicant aut ominantur. Quod in icterica corporis decoloratione cum singulis reliquis partibus aures quoque aurigine inficiantur, adeoque a quolibet, qui velit, in gravissimi huius mali praesentis testimonium excitari possint, vel in vulgus notum est. Alias autem in hominibus cachecticis haud raro aures quoque subflavo atque paene citrino colore, per totum corpus diffuso, tinguntur. Singulariter autem auris livida atque nigricans, simulque flaccida & contracta, iudicari potest gelu adusta: quo respectu huiusmodi aurium

quae, quum per horam circiter cum ipso sola fuisset, eundem, ut solet, variis voluptatum libidinumque blanditiis delinivisset dicam? an irritasset, debile ipsius corpus animumque adhuc imbecilliores penitus prostravit, adeo, ut, qui paullo ante valetudinem certissime recuperaturus videbatur, omnibus subito in peius mutatis, tota facie intensissimo & velut fulgido rubore perfunderetur, & statim de mentis sanitate deturbaretur, solius praegressae voluntatis memor index atque laudator, tribusque diebus post, inter continua deliria & supervenientes demum atrocissimas convulsiones, ab hac luce subtraheretur.

aurium constitutio tam diagnosticorum, quam anamnesticorum signorum generi erit subiicienda. Quod ad *prognosin*, ex tam turpiter decoloribus auribus capiendam, attinet, nostra faciemus verba *Ioannis Conradi BARCHUSENII*, *aures*, inquit *t)*, *oculi, nares, os aegrotantis, si fuerint nigra, & lingua nigredine infecta, mortem significant.*

§. XVI.

Verum enim vero interesse quoque Semiologi accuratioris, *caloris aurium* (§. VIII.) observationem non negligere, porro breviter persequemur. In cuius argumenti disputatione levabimur quodammodo labore, si repetierimus hic potiora singulorum generum signa, ex vario aurium colore hactenus definita (§. X–XV.); quum & color, & calor, Physiologorum testimonio, in humano corpore haud dissimiles habeant origines, atque pallor ipsique adfines colores, livor, luror nigrorque, plerumque frigus, rubor vero auctiorem ardentioemque calorem comitem nanciscantur. Quae quamvis ita sint, de nonnullis tamen, quae ad exquisitiorem frigoris aestusve aures adficientis diiudicationem spectant, seorsim dispiciemus: ad reliquorum, quae supersunt, inde capiendorum signorum indagacionem definitionemque, cognitis, uti iam diximus, colorum indiciis superstruendam, benevolos Lectores remisuri.

D

§. XVII.

t) In *Collectis medicinae practicae generalis*, Cap. IX. §. 5. pag. 360. Amstelod. 1715.

§. XVII.

Atqui de utraque hac aurium, caloris respectu, conditione, siue arserint istae nimio calore, siue frigore riguerint interno, peculiariter valet illud, quod generatim edisseruit HIPPOCRATES *u)*, effatum; quo unaquaeque corporis nostri pars, quae nimis calet, aut friget, morbum intrinsecus alere existimatur. Sed singulatim intuentibus frigentem in morbis aurem, nobis memorabilem declarat *diagnosin* idem ante laudatus Semiologorum pater atque princeps, adseverans *x)*: *iis, quibus splen deorsum propendit*, (ob abundantem illic lentoque meatu in vena portae progredientem sanguinem, v. c. hypochondria adfecta habentibus, femellis male menstruatis atque hystericis, chlorosi laborantibus, &c.) *illis, inquam, semper manus, genua pedesque calere, aures vero atque nares frigere*. Eodem doctore discimus porro, quales ex aurium frigore in morbis instituendae sint *praedictiones*. Ominosae atque exitiabilis illius faciei, quae hodie primi sui descriptoris nomen refert, haud minimam atque praetervidendam esse particulam aures frigidas, pelucidas, atque imis suis fibris a capite reflexas, alio iam dictum est loco (§. XII.): ubi alius quoque Hippocraticae praenotionis mentionem fecimus, frigidis contractisque auribus exitium aegrotorum portendi adfirmantis. Sed intelligenda haec esse praefagia

u) In *Aphorismor.* Sect. IV. Aphor. 39.

x) In *Libro VI. morborum popularium*, Sect. II. §. 30. p. 1170. Tom. II. Edit. citat.

sagia de acutis morbis, cum ipsius HIPPOCRATIS varia demonstrant dicta y), si inter se fuerint collata, tum aliorum celeberrimorum, Medicorum testimoniis luculentius comprobatur z). Prorsus enim e contrario GALENVS a) non adeo absurdum existimat, si in diuturnis morbis, imprimis febre immunitibus & hieme aut proVectiori aetate oborientibus, aures, nares, pedes, extremaeque frigeant manus. Denique adiiciemus singulare quoddam, quod ipsi quater observando cognovimus, hydrocephali phaenomenon, forsan aliquando, si crebrior plurimum Medicorum accesserit curiositas atque experientia, praesagii in hoc malo vim habiturum. Scilicet misellis eiusmodi infantibus, quibus caput aquoso humore ad satis enormem intensum est magnitudinem, quamdiu aliquis, licet levis & parum sentendus, in adfecta parte superfuit calor, salutis atque vitae spes adfulsit: contra vero simulac exteriores capitis partes, aures praesertim atque nasus, intensum atque constans susceperunt frigus, ut sint vitales futuri morboque convalituri infantes, vehementer fuit metuendum.

§. XVIII.

Contra ea vero si interno ardore nimium in-

D 2

calue-

y) E. g. in *Aphorism.* Libr. VII. Aphor. I. & Libr. VIII. Aphor. 10. & 14. Edit. van der LINDEN Tom. I. pag. 110. sq. & citatis supra not. m).

z) Quo exemplo citari possunt GALENVS in *Commentar. in Aphor.* 1. Sect. VII. HIPPOCRATIS, & CELSVS Libr. II. Cap. II.

a) loco iam citato.

caluerint aegrotantes (§. XVI.), varia quoque & tantum non semper mala atque illetabilis inde desumitur diagnosis prognosisque. Non repetemus ea, quae supra (§. XIII. XIV.) acriori aurium rubore indice didicimus, signa, huc alias praecipue transferenda, quum in humanis corporibus arctissima caloris atque ruboris deprehendatur coniunctio: sed in paucis quibusdam versabimur, quorum singularis commemoratio nostro huic proposito maxime videbitur idonea. Equidem iam ante (§. XIII.) aliquot commemoravimus adfectus, in quorum singulis faciem ipsiusque subsecivas partes, e. g. aures, multo calore paene ardescences observamus: sed in parotidibus inflammatis speciatim attenti intererit Semiologi, admota manu aurem & proxime circumiacentia capitis loca tangendo, eorundem explorare calorem; utpote qui, quo maior atque fervidior fuerit, eo gravius atque phlegmonodeum declarat incendium, aegrotantibus, praenotionum plerumque valde curiosis, difficiliorem atque paullo protractiorem medelam minans. Tandem, si singularibus quoque exemplis in hac signorum doctrina discere licet, ut omnino licet, ad paginae oram memorabilem adiungemus historiam sinistrae auris, a contagio corporis venereo acriter atque moleste percalefactae *b*).

§. XIX.

- b*) Puella, duodeviginti circiter annos nata, sanguineo-chole-rica, postquam paullo dissolutiorem egisset vitam, gravi infecta est contagio venereo, adeo, ut in alterutra gena & pone aurem enormis oriretur tumor, serosus magis, quam sanguineus aut, ut alias dicitur, inflammatorius, quocum
cana-

§. XIX.

Enimvero ad odorem quoque *aurium*, cuius in Semiologia usum nunc porro ibimus explicatum, nosmet respexisse supra (§. VIII.), multi forsan mirabuntur, in re inodora, cuius generis natura aures fecit, operam signorum olfactu exquirendorum ludi existimantes. Sed hi erunt fere, qui ignorant prorsus, aures interdum tam in externa, atque vicina ipsi parte, quam intrinsecus concipere tumores difficulter suppurantes: unde posthaec saepenumero enatum exinde pus, pro varia ipsius indole, vel odoris expers, vel graveolens, qualicunque odore aures quoque inficit. Quam ob rem huiusmodi olentium aurium observatione attentus Medicus cum ipsa abscondita minusque conspicua harum partium apostemata, iam in pus conversa, colligendo cognoscet, tum etiam pro maiori aut minori, qui inde exhalatur, foetore diiudicabit accurate, utrum benigni, an maligni moris sit abscessus, &

D 3

utrum

canalis salivalis Stenoniani obstructio & velut scirrhusa coarctatio erat coniuncta. Ad hoc accessit osium palatinorum a carie erosio, putida sanie perpetuo madens. At, quod maxime molestum erat, gravissimosque & nocte, & die inferebat cruciatus, symptoma erat urens fere in adfecto latere auris ardor, qui per quinque hebdomades quotidie magis magisque ingravescerebat, donec, rupto in media gena apostemate, ex laeso simul ductu salivali ingens putidae & ut in venereis solet, foetentis salivae copia effunderetur: cui singulari malo qualis demum medela allata sit, disci potest e Celeberrimi b. m. Io. Henrici SCHVLZII Praelect. in Dispensator. Brandenb. p. 189. Edit. novissimae.

utrum laudabile, quod dicunt, pus contineat, an sanienem acrem, putidam, atque sinuosa ulcera minantem? Atque hoc discriminis respiciens HIPPOCRATES, quid exinde praesagiri possit in morbis, sequenti definiit effato: *In diuturnis, inquit c), adfectibus suppurati ad aures tumores, nisi pus admodum album ac sine odore reddant, exitium, praecipue mulieribus, adferunt.* Denique quoniam saepe numero in febribus, criticam solutionem subituris, impetus morbi eiusque materia ad aures a natura delicitur, adeoque ibidem diversi illius, quod diximus, generis apostema excitatur: interdum his ex rationibus olentes aures Medico praegressarum eiusmodi febrium ἀνάμνησιν dabant d).

§. XX.

Persequamur, quae in *externa aure* supersunt, signa, *universi* exterioris aurium *habitus deformationi* superstructa (§. VIII.): cui quum supra duplex praecipuum dedimus genus, alterum, quod simplices comprehendit *tumores,*

c) In *Coacis Praenotion.* §. 206. pag. 151. Edit. citat.

d) Novimus olim iuvenem, melancholico-cholerici temperamenti, viginti annorum, qui, quum quolibet corrupto vivendi genere sanum ceteroquin atque robustum corpus debilitasset prorsus, tandem in febrem incidit intermittentem quidem, sed anomalam: a qua sensim atque tarde convalescens, ad sinistram aurem sensit defluere materiam febrilem, auris usu ipsum paene privantem, quae deinde paullo post in subolentem sanienem magis conversa, continuo ex aure exstillavit, neque cessavit antea, donec ipse uno anno post febre mesenterica dicam, an viscerali? certe ex viscerum laesione orta, consumeretur.

res, alterum vero, quod *ulcerationes* aurium respicit, utrumque illud hoc quoque loco singulatim pertractavissemus, nisi arctior utriusque generis coniunctio atque communis potissimum ortus, ut omnia, quae huc pertinent, signa uno sermone universim comprehendamus, nobis suaderet. Atque in his signis, ad variorum auris tumorum ulcerationumque indolem exposite definiendis, incomparabilis accuratusque HIPPOCRATIS fuit labor: a quo ideo sequentia didicisse, non pigeat Lectores. Nolint autem mirari, rogamus, hic quoque parotidis glandulae mutationes iis, quae alias auribus propriae sunt, inferi, atque signorum ab auditus instrumento petendorum loco haberi. Si qua enim ulla vicinitas partes corporis nostri mutuo connectit consensu: haec profecto est, quae dictae glandulae cum auribus intercedit, utpote variis duri ab auditorio nervo deducti rami furculis (§. IV.), & ramusculis ab arteria carotide externa ortis (§. VI.), magis contracta atque confirmata.

§. XXI.

Inter semiotica autem, quae ad *aurium tumores* atque *abscessus* pertinent, Hippocratica effata (§. XX.) *diagnosi* inprimis inserviunt, quae paullo post ad anamnesti-
corum signorum pertractationem (§. XXIII.) commodius opportuni-
usque adferemus. Inter ea autem diagnostica indicia, quae partim aliorum, partim ipsa nostra nobis suggestit experientia, haec praecipuam merentur animadversionem. Quandocunque glandulae ad aurem sitae intumescunt, Medicum haud dubium esse oportet de mala materie, vel ex scabie, vel ex venereo morbo, vel ex illo praecipue ulcere, quod Graeci *νεγλον*, Romani vero Me-
dici

dici *favum* appellarunt, vel etiam generatim ex spisso tenacique universi corporis humore huc translata; nisi quidem praesens aliqua febris de critica quadam eundem monuerit solutione. Interdum quoque ductus salivalis magni, a STENONE inventi, obstructio a qualicunque causa orta, dum effundi in os salivam prohibet, extendit parotidem, adeoque saepius ipso huius generis tumore sui indicium offert *e*). Quo diutius hae glandulae tumuerunt, eo veri similior est diiudicatio, singulas in eodem corpore glandulas scirrhus, saltem obstructione esse adfectas: cuius rei veritatem saepius culter anatomicus detexit confirmavitque. Neque demum opportune hic omitti putamus singulare quoddam diagnosticum phaenomenon, in puella sedecim annorum a nobis observatum; cui nunc per sesquiannum, quotiescunque catamenia fluere incipiunt, & donec in profluvio persistunt, toties atque tam diu utraque parotis pone aures satis eminenter intumescit. Quod an pluribus forsitan accidat puellis, nec ne? aliorum observatione constituisse non compertum habemus.

§. XXII.

Sed interest quoque, quae exinde (§.XX.XXI.) praefagiuntur, nosse. Exorta scilicet ad aures tubercula in surditate, non illa homini cuidam congenita, sed a morbo quodam illata, porro in sopore, adfectionibus catarrhalibus, dolore capitis atque praecipue hemicrania, peripnevmonia, quid? quod in pertinaci urinae suppressione maximam iniiciunt spem futuri boni eventus proximeque instantis singulorum horum morborum solutionis. Quod si vero huiusmodi tumores, critico tempore orti, eodem quoque

e) Cuius exemplum videsis not. *b*).

quoque nullum conceperint pus, ne, solutis demum ipsis, morbus redeat, valde metuendum est. At exitium prorsus necemque minantur isti aurium tumores, qui magno cum dolore prodeunt, aut ex praecordiis anxios invadunt, aut in febribus acutis, quibus frequens atque maxime graveolens alvi deiectio comitem se addidit, apparent, aut levi hemiplexia correptis accidunt, aut denique qui in chronicis exorti morbis vel plane non suppurant, vel laudabilis atque inodori puris loco foetentem progenerant faniem. Neque laetabilioris sunt ominis illi, qui non magni atque elati satis, sed parvi atque exiles, in diuturnis atque gravioribus morbis subinde sanguinis e naribus profluvium tenebricosamque vertiginem adiunctam habent, aut qui in acutis morbis neque crisi solvuntur atque maturescunt, neque alia iudiciaria solutione, e g. narium haemorrhagia, aut lotii crassi atque turbulenti emissionem levantur, aut ii denique, qui *ἀκρίτως* sensim detumescunt *f*). Quibus Hippocratis effatis hoc solum adiciamus, in variolarum morbillorumque decursu eaque febre, quae pueris dentientibus plerumque supervenit, huiusmodi ad aures exortos tumores non adeo bonos optabilesque polliceri eventus, maioremque hinc horum morborum gravitatem declarari, quoniam per vias salivales tentata crisis hac ratione efficitur magis imperfecta.

§. XXIII.

Omniū autem hactenus expositorum auris adfectuum nullus tot tamque variorum multipliciumque signorum anamnesticorum ferax est, quam hi ipsi, de quibus modo disputavimus (§. XX–XXII.), tumores atque

E

apo-

f) Videtis *Coac. Praenot.* §§. 25. 105. 199. 201. seqq. 395. *Praedict.* Lib. I. §. 155. 159. 170.

apostemata aurium. Namque aures &, quae proxime adiacent, loca, huius generis tumoribus occupata, absente ceteroqui singulari quodam morbo, monent Semiologum, ut ab eiusmodi aegro exquirat, utrum praecesserit febris, moderatum quidem capitis dolorem, sed inexhaustam sitim neque criticum sudorem comites nacta; an adfectus soporofus, incontinenti corporis iactationi, praecordiorum dolori & parco modicoque vomitui, vel frequenti, sed simul paucae exspuitioni iunctus; an gravissima nervorum convulsio, catochus, quem Medici dicunt, comitata; an acrior quidam catarrhus, diaetae regiminisque vitiis, sive mala medicatione, corruptus atque firmatus g); an nimium atque continuum pervigilium? an denique icterus, cum anhela respiratione & praecordiorum duritie atque tumore complicatus b)?

Addi

g) Liceat adhuc semel in exemplo morari, hoc, quod diximus, maxime illustrante. Sacerdos quidam vicini cuiusdam oppidi, circiter quadragenarius, totus fere, quantus quantus est, cholericus, auctumnali tempore, dum proxime situm quendam pagum, ad sacra ibidem peragenda, frequentius adit, in acerrimam incidit coryzam, quae deinde mox, variis diaetae & imprimis regiminis erroribus turbata, ad parotides transfertur. Quarum tumor, quum inter varias bonae malaeque medicationis vicissitudines, nec minus negligentem diaetae atque regiminis observationem, inveteravisset & adversus omnia remedia velut occalluisset, sensim universum glandularum salivalium &, ut verisimillimum videtur (conf. §. XXI.), ceterarum omnium genus in tumoris scirrhi que consensum ita pertraxit, ut nunc vir iste omnibus miserabilis vitam vivat calamitosissimam.

b) De quibus hic expositis signis singulatim praecipit HIPPOCRATES in *Coac. Praen.* §§. 107. 126. 173. 183. 185. 264.

268.

Addi autem possunt his adfectibus, ab aurium tumore, tanquam anamnastico signo, declarandis, achores infantum, scabies, quid? quod ipsa interdum purpura scorbutica, si retrocesserint intempestive: ut plura adhuc huius generis indicia non attingamus, memores propositae his paginis brevitatis.

§. XXIV.

Sed restant aliqua de *cerumine aurium* tribus, quod aiunt, verbis disputanda (§. VIII.). Quam pinguem atque sebaceam materiam a natura datam esse hominibus gustu amaram, satis abunde inter Physiologos constat *i*). Sed ab hac naturali indole hae sordes adeo interdum deflectunt in morbis, ut prorsus in contrarium ruant, dulcemque acquirant saporem. Quod ubi evenerit, HIPPOCRATES aestimat lethale *k*). His signis, dubius haereo, an inferam, quae vulgo de dissecta aure, aut vena saltem pone ipsam pertusa, tanquam certissimo sterilitatis inducendae compescendaeque libidinis remedio, traduntur ipsiusque HIPPOCRATIS auctoritate *l*) confirmantur. Licet enim hoc idem effatum recentiorum Medicorum nonnulli *m*) tam rationibus, quam exemplis probare atque

E 2

adse-

268. 290. & 372. Item in *Praediction*. Libr. I. §§. 157. 161. 164. 165. & 169.

i) Videatur v. c. *Iosephi du VERNEY Tract. de Organo auditus*, Part. III. §. 5.

k) In *Libro VI. de morbis vulgaribus*, Sect. V. §. 11.

l) In *Libro de genitura*, p. 232. Tom. I. Edit. Opp. citat.

m) Quo nomine hic praesertim excitari meretur *Chr. Franc. PAVLLINI*, qui in *Ephemerid. Acad. Nat. Curios. Decur. II. Ann. VII. p. 161. sq. Append.* cum magno variorum testimoniorum apparatu, tum peculiari exemplo rem hanc demonstrare allaboravit.

adseverare annisi sint: maximopere tamen vereor, ut veritati semper sit responsurum; quandoquidem, si ab alia aurium destructione aliquid colligere mihi licet, ipse novi virum, triginta octo annorum, quatuorque liberorum parentem, atque ad haec uxore optimae famae, honestatisque ne in tenuissimam quidem alieni amoris suspicionem vocandae, fruentem, cui illa saevissima anni cccclxxxix. hieme ambae aures gelu adustae & prorsus consumtae sunt.

§. XXV.

Venimus nunc ad *internae auris* adfectus, in quantum cognoscendis variis morborum signis idonei sunt (§. VIII.), in tantum breviter hic disputandos. Duo eorum supra constituimus genera, ex quibus *acerbis aurium doloribus* primum concedemus locum. Atqui hi varias, unde orti sunt, causas tam multiplici quoque produnt diagnosi. Acutissimus omnium & paene intolerabilis, in cava aure ardens atque pulsans, interni huius partis incendii luculentus testis est. Mitior paullo, licet adhuc satis acutus atque pungens, uni tamen loco magis infixus, est ille aurium dolor, qui acrioris atque falsi humoris, internam meatus acustici membranam rodentis, vel a cerumine corrupto, vel a catarrhalis lymphae metastasi derivati, indicium exhibet. Singularem denique ultimum horum dolorum genus excitat sensum, pungentem nimirum simulque maxime pruriginosum, sub quo motus alieni cuiusdam in aurem delapsi sentitur: unde etiam huiusce adfectus origo, vermis scilicet, aut alius cuiusdam animalculi, aliarumque rerum, v. c. globuli plumbei, pisi, &c. ingressio in meatum auditorium optime dignosci potest.

§. XXVI.

§. XXVI.

Ergo quoque horum dolorum (§. XXV.) *prognoses* ad triplicem revocandae erunt rationem. Quam formidabile, quamque ominosum sit malum gravis ille, quem primo descripsimus, dolor, passim exposite docuit *Cous noster n)*, cuius verba eleganti sermone latino expressit CELSVS: *Auris, scribens o), dolor acutus cum febre continua vehementius saepe mentem turbat, & ex eo casu iuniores intra septimum diem moriuntur, seniores tardius; quoniam neque aequae magnas febres experiuntur, neque aequae insaniunt: ita autem sustinent, dum is adfectus in pus vertatur.* Enimvero licet senes non tam subito tollat, certius tamen reverti solet, & exitii tarditatem certa deinde morte compensat. Praeter hic citata deliria saepenumero quoque dirus hicce dolor nervos convellit, animoque deliquium infert. Simulac vero in hoc adfectu album pus ex aure destillat, de salute vitaeque prorsus desperare non oportet aegrum. Hac autem ratione salute recuperata, aurium usus cum plane interceptus, tum nonnihil tantum imminutus saepe deprehensus est. Alter in instituto ordine dolor (§. cit.) minus quidem periculi fovet, durationis autem diuturnitate & frequenti recurso, quod periculo deest, molestia supplet, neque raro ita ingravescit, ut in prius illud acerbius genus commutetur, aut saltem teneros homines animo linqui efficiat. Interdum quoque, dum in acutis febribus criseos vice fungitur, salutarem praesagit eventum. Ultimum doloris aurium

E 3

genus

n) E. g. in *Coac. Praenot.* §. 189. *Praenot.* p. 44. Edit. *Opp. cit.*

o) *De medicina* Libr. II. Cap. VII. quocum consentit quoque Arabum doctissimus, AVICENNA, Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXVI.

genus (§. cit.) omni caret periculo, si tempestive satis aliena ex aure educantur: hoc enim si secus fuerit factum, non minus quoque periculosa, quam molesta inde accidisse symptomata, exemplis constitit *p*). Denique ut ne *anamnestica* etiam omittamus *signa*, monendi sunt Semiotologi, ut in ambobus prioribus dolorum generibus animam advertant ad praegressas haemorrhagiarum artificialium neglectiones, naturalium vero itemque serosarum evacuationum suppressiones, porro ad regimen in adfectibus catarrhalibus atque acutis male observatum, ad ante toleratam aëris, praecipue pluviosi frigidique, iniuriam, & id genus alia; utpote quae singula exinde luculentissime solent declarari.

§. XXVII.

At in evolvendis *fluxionum pituitosarum ulcerosarumque* signis, quippe quae ad alteram vitiosorum internae auris adfectuum classem pertinent, multum laborare neque nunc licet, neque, si liceret, necessarium omnino putamus. Quicquid enim est harum defluxionum, signorumque ex iisdem deducendorum, iam passim & velut in transcurso nos attigisse meminimus, quum de indiciis aurium, ab earundem odore (§. XIX.), tumore atque abscessu (§. XXI. XXII. XXIII.), itemque dolore (§. XXVI.) desumendis, institueremus sermonem. Illud saltem exinde iudicatu erit facillimum, potiore harum fluxionum partem inter criticas multorum morborum, speciatim catarrhalium, solutiones, adeoque etiam salutaria potissimum signa esse referendam. Tandem de *manationibus aurium serosis*, quarum frequens in infantibus est observat

p) Omnium maxime memorabile videtur illud, quod de puella quadam refert FABRICIUS HILDANUS *Obs. IV. Cent. I.*

fervatio, annotasse sufficiat, per easdem tenerrima illa corpora plerumque haud inopportune a natura purgari, ipsorumque sanitatem a variis, praecipue exanthematicis atque catarrhalibus aliis, adfectibus defendi. Ab intempestiva itaque harum manationum suppressione multa inferrentur infantibus mala, ab attento Semiologo facile praefagienda; verbi causa, achores infantum, serosae oculorum adfectiones, dentitio difficilis, catarrhus suffocativus, motus convulsivi, quos dicunt, atque epileptici, & quid non?

§. XXVIII. Postulat nunc propositi operis regula, quae de signis ab ipso *auditu mutato* capiendis disputanda restant (§. VIII.), summa percurrere brevitate, quum in ipso Dissertationis limine nos videamus constitutos. Quas morbosas auditus mutationes quoniam supra tribus comprehendimus generibus, etiam hic per totidem ibimus partes. Atque primo *depravatae auditioni* adnumeramus *tinnitum, sonitum, susurrum* atque *pulsationem*, auribus obstrepentem. Quae singula, si generatim spectentur, aut externam quandam atque adventitiam causam *q)*, aut insignem plethoram eamque commotam, aut saltem versos impulsosque ad caput humores designant. Unde fit, ut saepe numero inter diagnostica vertiginis, cephalalgiae, gravedinis, otalgiae, odontalgiae, aliorumque huius generis morborum signa militent. Neque raro praefagiunt eosdem, dum imminet, adfectus. Praecipuum autem atque singulare signum esse solent haemorrhagiae narium, aut coryzae, aut manationis aurium, aut salivationis, in febribus critice eventurae. Minus autem laetum omen habetur in acutis & quibusvis gravibus morbis, si hae antedictae auditus depravationes visus imbecillitati, capitis & praecipue frontis gravitati, & praecordiorum anxietati iunctae fuerint; vehementem enim mentis alienationem, aut nervorum convulsionem, aut ipsam mortem praenuntiant, nisi quaedam supervenerit crisis. Apoplexiae etiam aut comitialis morbi metus est, si,
fine

q) E. g. muscae aut vermes aurem ingressae, &c. ad quod etiam quodammodo pertinet cerumen induratum, tinnitus interdum causa.

r) Inter Hippocratica praefagia huc pertinent *Praediction. Lib. I. §. 18. & Coac. Praenot. §. 131. 161. 191. & 194.*

sine febre, inter capitis dolores, tenebricosam vertiginem, tarditatem vocis, manuumque stuporem tinniverint aures. Mulieribus quoque saepius paucis ante catameniorum profluvium diebus aures tinnire, frequentis est apud illas observationis *r*). Ceterum quae vulgus hinc praenunciari dicit, fabulae sunt atque nugae.

§. XXIX. Ad postremum, ut laboris spatiique compendium habeamus, utrumque reliquum auditus vitium, *auditus* nimirum *hebetationem* atque *difficultatem*, (quale surdastrorum esse solet,) & ipsam *surditatem*, tam *temporariam*, quam *constantem* (§. VIII.), quoniam gradu tantum inter se differunt, uno complectemur sermone. Scilicet, ut primo *diagnosin* expediamus, uterque adfectus, inprimis autem posterior, luculenter testimonio esse potest Medico aut de cerumine obdurato, aut de fungosis exescentiis, aut de glandulis sebaceis internae auris insigniter tumefactis, aut interdum, licet rarius, de membrana transverse praeter naturam enata, singulis quippe meatum auditorium obstruentibus, aut porro de relaxatione, vel callositate disruptioneve membranae tympani, aut obstructione vel compressione nervi auditorii, aut de quibusvis aliis proximis intercepti auditus causis. Ad diiudicandos vero morborum eventus insignis horum phaenomenorum est usus. In plerisque enim febribus, praecipue exanthematicis catarrhalibusque, *ancipitis* esse solent *praesagii*; boni, si praenunciata crisis aut exanthematum eruptio successerit, aut in declinatione harum febrium evenerint; mali vero, immo pessimi, si secus. Supremum enim hoc si acciderit, plerumque grave & tantum non furiosum delirium, aut aequae illaetabilis convulsio, aut omnium gravissima mors imminet. Neque in chronicis morbis surditas admodum bonae est notae, vehementes inprimis coxendicis dolores saepe antegressa *s*). Cuius generis praesagia longe accuratius definiiri possunt, si ad alia quoque coniuncta signa simul attendatur. Quae sigillatim porro disputaturos nos chartae deficiunt, ne qualicunque quidem huius academici speciminis commendationi, ad benevolos Lectores dicendae, locum relinquentes.

s) Ex HIPPOCRATIS effatis confer *Aphorism.* Libr. IV. Aph. 49. & Libr. VII. Aphor. 73. *Coac. Praenot.* §. 190. sqq. *Praediction.* Libr. I. §. 32. 33. 129. 147. &c.

